

**www.e-rara.ch**

## **Carminum puerilium et juvenilium libri IV**

**Placcius, Vincent**

**Amstelodami, 1668**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-59486>

[Praefatio ad lectorem.]

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

BENEVOLO

LECTORI

S. P. D.



Oeticam neque laudare  
nunc neque defendere mihi  
animus est. Majoribus u-  
trumque ingeniis, & gra-  
viore animorum contentione factita-  
tum est, quam ut meæ hic industriæ  
aliquid reliquum videri possit. Tum ea  
est hujusce seculi indoles, ut si umquam  
alias, sane hac reipublicæ litterariæ facie

*Exspectes eadem à summo minimoque  
Poëta.*

Adeo æquali ferè utrique omnium con-  
temptu, sicut olim applausu, excipiun-  
tur: indignum sane vigiliarum suarum  
& arrosorum unguium fructum laturo,  
nisi quem ex aliena & publica non pos-  
sunt, eum ex propria aut amicorum suo-  
rum secreta congratulatione percipiant.  
Neque vero est cur existimet aliquis  
communem hanc eruditorum omnium  
causam, eo quod versiculos aliquos mul-

P R E F A T I O

multum adhuc adolescens feci, propius ad me quam ad alium quemvis elegantioris litteraturæ non planè negligentem pertinere. Equidem nondum neque abjectè adeo de Poëticâ, neque arroganter fatis de me ipso sentio, ut carminibus hisce primo ætatis impetu, sine arte atque cura omni effusis, Poëtæ nomen promereri me posse confidam.

*Illum dic esse Poëtam,*

*Cui est ingenium, cui mens divinior.*

Cujus ut in me perparum agnosco, ita ut hoc nomine Poëtarum patrocinium temerariâ prorsus audaciâ suscipiam, numquam inducar. Imprimis cum propriam etiam causam verear ne tueri non fatis possim, siquidem & scriptio- nis hujus & editionis rationes explicare accuratius debeam. Eam tamen aliquam nunc, & qua contenti possint esse homines non illiberales omnino neque difficiles,

*Si vacat, & placidi rationem admit-  
titis, edam.*

Neque vero longius illam mihi peten-  
dam

A D L E C T O R E M.

dam existimo. Nam cum in Scholis tantum non omnibus Poëta continuo aliquis prima etiamnum linguæ Latinæ rudimenta deposituris prælegatur: quid mirum, si quod fere ætati teneræ familiare est, ut fabellis nempe magis quam rebus seriis capiatur, idem mihi tunc temporis etiam accidit. Qui factum est, ut cum lubentius in illo lecti onis ac studii genere versarer, tandem nescio quo desiderio poëtandi sim correptus. Nimirum quemadmodum in sole qui obambulant, etiam aliud agentes colorantur: ita & ego legendo quotidie Poëtas sensim ipse versiculos fundere non illubente venâ coepi. Sane nihil naturæ est magis consentaneum, quam quæ exempla quotidie ob oculos habeas, ea imitari. Quod cum ego experiiri vellem, successus spe felicior ut ad idem exercitii genus sæpiusculè reverterer, mentem protinus injecit. Neque jam retinebar sermonibus illorum, qui hæc studia sumptus suos exercere negabant, anti-  
quam illud subinde occinentes

P R Æ F A T I O

*Studium quid inutile tentas?*

*Frange puer calamos.*

*Quid enim tibi fistula reddet,*

*Quo tutere famem?*

Nam præterea quod vix in alio scribendi genere impunè magis ingenioli mei vires tentaturum me perspiciebam; non putabam mihi studium hocce lucro metiendum esse, quod voluptate adeo exquisita cultorem suum perfunderet. Quin imo cum necessariam interdum aliquam remissionem animo meo fore viderem: Sicut *agrum*, consulente Varone, *alternis annis relinqui oportet, aut paullo levioribus sationibus serere*, ne videlicet continuo & nimio suctu terræ uber funditus exhauriatur, ita & ego animum meum severioribus anxietatis Themidis aut tetricæ Minervæ studiis assiduo occupatum, levioribus hisce Musarum sacris, & negotioso quodam otio temperandum atque reficiendum nonnumquam existimavi. Neque id vitio mihi aut fraudi apud bonos ac sapientes unquam fore ratus sum, si quoties

A D L E C T O R E M.

ties alii cuticulæ curandæ caussa ad po-  
pinas, ad theatra, imo ad fornices diver-  
terent, toties ego animi relaxandi ergo,  
ad delubra Musarum concederem, unde  
sciebam non nisi aptiorem ad ea quæ  
modo relinquebam me reversurum.  
Quam vero minime invitas se in con-  
suetudinem meam suavissimæ Pierides  
darent atque immergerent, vel eo satis  
manifesto argumento facile colligebam,  
quod non cogitantem etiam interdum,  
ac propè reluctantem ad se avocarent,  
imo abriperent: quoties imprimis vel  
vacuo me, vel prægravato nimis curis  
animo deprehenderent. Quo minus ju-  
re mihi quis succenseat, si tam amabile,  
tamque præclarum Divarum agmen  
sponte se mihi insinuans illiberali ac in-  
urbana imo inhumana prorsus rustici-  
tate repellere non sustinui. Et ex hoc  
quidem meo aliquot annorum cum  
Musis consortio, nata sunt ea quæ vides  
B. L. Carmina Puerilia & Juvenilia:  
quæ uti numero pauca sunt, ita nullum  
eorum (si Atlantidem exceperis) tam

P R Æ F A T I O

est prolixum, quod triduo integro mihi  
constiterit. Ne jam gravioribus meis  
studiis vim factam, aut illatum grave  
damnum aliquis criminetur. Adde quod  
pleraque illorum, aut in itinere, ubi me-  
ditationibus aliis vacare non licebat, aut  
in morbo constituto, ubi gravioribus  
curis animum liberare tantillum expe-  
diebat, imo necessum erat, nata sunt, ac  
postmodo sine cura, sine arte sicuti  
sponte sese ac non quæsitâ obtulerant,  
citra lituram sæpe ullam in chartam  
sunt coniecta. Neque vero cum anxie-  
tate mihi tractanda credebam illa studia,  
ex quibus præter oblectamentum nihil  
quærebam. Neque semel concepta cum  
tædio mihi deinceps recognoscenda ar-  
bitrabar, non nisi mihi & amicis scrip-  
turo.

Sed quam parum, aut nihil adeo di-  
ligentiæ, atque industriæ ad hæc qua-  
liacunque mea carmina attulerim, ve-  
reor ne nimis etiam me tacente quibus  
hæc intelligere mos est agnoscant. Qui  
facilius fortassis etiam ignoscendum  
huic

A D L E C T O R E M.

huic errori meo putaverint, nisi publicum eum fecissem. In quo si quod est peccatum, quod non omne prorsus ab-nego, non tam meum illud recte dicas, quam seculi, cum quo insanire etiam sapientibus fas esse creditur. Et vero postquam magis etiam hodie atque olim umquam

*Tenet insanabile multos*

*Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.*

neque novum neque insolitum videri debet, si me quoque juvenem epidemius ille morbus aliquando invasit, atque corripuit. Imo cum tot quotidie novorum & magna ex parte nugacium librorum volumina in orbe litterario tamquam atomi in intermundiis Democriticis circumvolent, & quærant ubi hæreant: annon ineptæ planè scrupulositatis, & religionis plusquam superstitionis foret, *perituræ parcere chartæ?* Quod si quis ulterius mihi adhuc importunè molestus objiciat, *Quis leget hæc?* Sanè per me legat qui volet, Neque injuriam mi-

F R Æ F A T I O

hi fieri arbitrabor, si pauci præter cognatos aut amicos hæc perlegerint: cum & optimorum librorum ferè hoc fatum sit, & egomet etiam paucissimos ex recentioribus Poëtis præter amicos ac familiaritate aut usu cognitos inspexerim. Qua consideratione ductus, nolui sanè aliis hæc offerre atque inscribere quam iis, quos qualescunque etiam infelices & lævos ingenioli mei partus non sine aliquibus blandimentis excepturos confidebam. Cognatis videlicet ac Præceptori, parentum instar honorandis, & Fratri dulcissimo: cum tamen nec Amici deessent, qui ad hæc edenda animum præcipuè excitassent, neque Principes Viri, qui favore suo atque gratiâ jam olim aliam atque aliam versiculorum meorum partem essent profecuti. Verum hæc quidem sterilis ingenioli mei qualiacunque germina sub domestica & modica umbra rectius nunc adolescent, quæ nimia fortassis & exotica prorsus extinxisset. Quod si Deus vires & otium mihi continuaverit, non

AD LECTOREM.

non deerunt alia quibus & amicos  
olim honoremus. Interim si quis etiam  
alius præter illos hæc nugamenta mea  
sibi commendari patiatur, illi vix habeo  
præter brevitatem & varietatem quod  
promittam. Si quid præterea in iis non  
illaudabile invenerit, ipse viderit, & in  
lucro hoc reputet. Ad minimum non  
hic.

*Oblita modi millesima pagina surgit,  
Et crescit multa nimium damnosa pa-  
pyro.*

Etenim ne magnum malum darem,  
parvum libellum dandum censui, &  
tantundem ferè versuum blattis ac ti-  
neis, quantum prælo commisi. Variet-  
tatem & in argumento & in metro ipse  
B. L. agnoscet, quam ipsam & in ordine  
observavi: cum alias si compositionis  
seriem retinendam putassem, Primitiæ  
sacræ, ultima libelli secundi pars prin-  
cipium operis constituere debuissent.  
Sed inconsultum duxi maximè in-  
comptâ parte Lectorem ad reliqua sta-  
tim nauseabundum efficere. Quare

F R Æ F A T I O

Epos Ephebicum præmisi: subjeci pu-  
 erilia. Juvenilia in tertium librum con-  
 tuli. Denique Epigrammata paucula,  
 & in iis aliqua jocosa ad levandum ex  
 priori fortassis lectione obortum tæ-  
 dium superadjeci, in quibus tamen ne-  
 que profusum me neque immodicum  
 fuisse existimo. Si cui aliter videbitur,  
 is & hæc, & coetera ætatis qua hæc  
 scripta sunt lubrico imputare debet,  
 quæ si in gravioribus etiam errasset re-  
 stitutionem jure suo flagitaret. Mihi hoc  
 solum nunc propositum fuit, ut ad soli-  
 diora me in posterum & digniora studia  
 totum collaturus, privatæ quæ cum  
 Musis mihi intercessit hæctenus familia-  
 ritati publica hac Valedictione solen-  
 niter renunciarem.

Vale Lector benevole, & vos lon-  
 gum nunc Valetè, Salvete.

*Dulces Camænae. Nam fatebimur  
 verum*

*Dulces fuistis. Et tamen meas chartas  
 Revisitare: sed pudenter, & raro.*